



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romæ, 1619

In quo consistat Dei tentatio. 1

urn:nbn:de:hbz:466:1-38762

De tentatione Dei, in quatuor articulos diuisa.

Dinde considerandum est de vitijs religioni oppositis per religionis defectum, quæ manifestam habent contrarietatem ad religionem: vnde sub irreligiositate continentur. Huiusmodi autem sunt ea, quæ pertinent ad contemptum, siue ad irreuerentiam Dei & rerum sacrarum. Primò ergo considerandum est de vitijs quæ pertinent directè ad irreuerentiam Dei. Secundo, de his quæ pertinent ad irreuerentiam sacrarum rerum.

¶ Circa primum considerandum occurrit de tentatione qua Deus tentatur, & de periurio, in quo nomen Dei irreuerenter assumitur.

¶ Circa primum queruntur quatuor.

¶ Primo, in quo consistit Dei tentatio.

¶ Secundo, vtrum sit peccatum?

¶ Tertio, cui virtuti opponatur.

¶ Quarto, de comparatione eius ad alia vitia.

ARTIC. I.

Vtrum Dei tentatio consistat in aliquibus factis, in quibus solius diuina potestatis expectatur effectus?

Ad primum sic proceditur. Videtur, quòd tentatio Dei non consistat in aliquibus factis, in quibus solius diuina potestatis expectatur effectus. Sicut enim Deus tentatur ab homine, ita etiam homo tentatur & à Deo & ab homine & à dæmone. Sed non qualitercumque tentatur homo, expectatur aliquis effectus potestatis ipsius. Ergo etiam neque per hoc quòd Deus tentatur, expectatur solus effectus potestatis ipsius.

¶ 2 Præterea, Omnes illi qui per inuocationem diuini nominis miracula operantur, expectant aliquem effectum solius diuina potestatis. Si ergo in factis huiusmodi consisteret diuina tentatio, quicumque miracula facerent, Deum tentarent.

¶ 3 Præterea, Ad perfectionem hominis pertinere videtur,

517
4. q. 45.
a. 4. ad 2.
c. 2. co.
11. fin.

l. 6 in Lu
cam, in c.
Qualiter
discipuli
à Christo
missi. l. 5

l. 22. c. 36
à me. l. 6

videtur, vt prætermis humanis auxilijs, in solo Deo spem ponat. Vnde Ambros. * super illud Luca 9. Nihil tuleritis in via, &c. dicit, Qualis debeat esse qui euangelizat regnum Dei, præceptis euangelicis designatur: hoc est, vt subsidij secularis adminicula non requirat, fideique totus inhaerens putet, quo minus ista requireret, magis posse suppetere. Et beata Agatha dixit, Medicinam corporalem corpori meo nunquam exhibui: sed habeo Dominum Iesum Christum, qui solo sermone restaurat vniuersa. Sed Dei tentatio non consistit in eo quod ad perfectionem pertinet. Ergo Dei tentatio non consistit in huiusmodi factis, in quibus expectatur solum Dei auxilium.

SED contra est, quod Aug. * dicit 22 contra Faustum quod Christus qui palam docendo, & arguendo, & tamen inimicorum rabiem valere in se aliquid non finendo, Dei demonstrabat potestatem: idem tamen, fugiendo & latendo, hominis instruebat infirmitatem, ne Deum tentare audeat, quando habet quod faciat, vt quod cauere oportet, euadat. Ex quo videtur, in hoc Dei tentationem consistere, quando prætermittit homo facere quod potest ad pericula euadenda, respiciens solum ad auxilium diuinum.

RESPONDEO dicendum, quod tentare est propriè experimentum sumere de eo qui tentatur. Sumimus autem experimentum de aliquo & verbis & factis. Verbis quidem, vt experiamur an sciat quod querimus, vel possit aut velit illud implere. Factis autem, cum per ea quæ facimus, exploramus alterius prudentiam, vel voluntatem, vel potestatem. Vtrumque autem horum contingit dupliciter. Vno quidem modo aperte: sicut cum quis tentatorem se profiteretur: sicut Sampson Iud. 15. proposuit Philistæis problema ad eos tentandum. Alio verò modo insidiosè & occultè: sicut Pharisei tentauerunt Christum, vt legitur Matt. 22. Rursus quandoque quidem expressè: puta cum quis dicit ei vel facto intendit experimentum sumere de aliquo. Quandoque verò interpretatiuè: quando scilicet etiam

est hoc non intendat ut experimentum sumat, id tamen agit vel dicit, quod ad nihil aliud videtur ordinabile, nisi ad experimentum sumendum. Sic ergo homo tentat Deum quandoque verbis, quandoque factis. Verbis quidem Deo colloquimur orando. Unde in sua petitione expressè aliquis Deum tentat, quando ea intentione aliquid à Deo postulat, ut exploret Dei scientiam, potestatem, vel voluntatem. Factis autem expressè aliquis Deum tentat, quando per ea quæ facit, intendit experimentum sumere diuinæ potestatis siue pietatis aut scientiæ. Sed quasi interpretatiuè Deum tentat, qui etsi non intendit experimentum de Deo sumere, aliquid tamen petit vel facit ad nihil aliud utile, nisi ad probandam Dei potestatem vel bonitatem, vel cognitionem: sicut enim quis equum currere facit, ut euadat hostes, hoc non est experimentum de equo sumere. Sed si equum currere faciat absque aliqua utilitate, hoc nihil aliud esse videtur, quam experimentum sumere de equi velocitate. Et idem est in omnibus alijs rebus. Quando ergo propter aliquam necessitatem seu utilitatem committit se aliquis diuino auxilio in suis petitionibus vel factis, hoc non est Deum tentare: dicitur enim in 2. Paralip. 20. Cum ignoramus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te. Quando verò hoc agitur absque necessitate & utilitate, hoc est interpretatiuè tentare Deum. Unde super illud Deuteron 6. Non tentabis dominum Deum tuum: dicit gloss. Deus tentat, qui habens quid faciat, sine ratione committit se periculo: experiens utrum possit liberari à Deo.

Ad primum ergo dicendum, quodd homo etiam, quandoque factis tentatur, utrum possit, vel sciat, vel velit huiusmodi factis auxilium vel impedimentum prestare.

Ad secundum dicendum, quodd sancti suis precibus miracula facientes ex aliqua necessitate vel utilitate mouentur ad petendum diuinæ potestatis effectum.

G g 4 Ad

Ad tertium dicendum, quod prædicatores regni Dei ex magna necessitate & utilitate subsidia temporalia pratermittunt, ut verbo Dei expeditius vacent. Et ideo si soli Deo innitantur, non ex hoc tentant Deum. Sed si absque utilitate vel necessitate humana subsidia desererent, tentarent Deum. Unde & Augustinus dicit 22. 8. contra Faustum, quod Paulus non fugit, quasi non credendo in Deum, sed ne Deum tentaret si fugere nolisset, cum sic fugere potuisset. Beata vero Agatha experta erat erga se diuinam benevolentiam, ut vel infirmitates non pateretur, pro quibus corporali medicina indigeret; vel statim sentiret diuinæ sanationis effectum.

l. 22. c. 36
a me. 1. 6

ARTIC. II.

Utrum tentare Deum sit peccatum?

518

1. q. 112.
ar. 2. co.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod tentare Deum non sit peccatum. Deus enim non præcepit aliquod peccatum. Præcepit autem ut homines eum probent: quod est eum tentare. Dicitur enim Malach. tertio, Inferte omnem decimam in horreum meum, ut sit cibus in domo mea: & probate me super hoc, dicit Dominus, si non aperuero vobis cataractas cæli. Ergo videtur, quod tentare Deum non sit peccatum.

¶ 2 Præterea, sicut aliquis tentatur ad hoc, quod experientia sumatur de scientia vel potentia eius: ita etiam & de bonitate vel voluntate ipsius. Sed licitum est quod aliquis experimentum sumat diuinæ bonitatis, siue etiam voluntatis. Dicitur enim in Psal. 33. Gustate & videte quoniam suavis est dominus. Et ad Rom. 12. Ut probetis quæ sit voluntas Dei bona & beneplacens & perfecta. Ergo tentare Deum non est peccatum.

¶ 3 Præterea, nullus vituperatur in scriptura ex eo quod à peccato cessat, sed magis si peccatum comitat. Vituperatur autem Achaz, qui domino dicenti, Pete tibi signum à domino Deo tuo, respondit, Non peram & non tentabo dominum. Et dictum est ei, Nunquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis